

**Kgl. Bayer. Akademie
der Wissenschaften**

Sitzungsberichte

der

königl. bayerischen Akademie der Wissenschaften

zu München.

Jahrgang 1861. Band I.

München.

Druck von J. G. Weiss, Universitätsbuchdrucker.

1861.

In Commission bei G. Franz.

Ueber die Inschriftensammlung, deren werthvollster Theil in dem besteht, was Bembo auf seinen Reisen, zum Beispiel zu Tolmezzo in Friaul 1494, in Parenzo 1526, und namentlich in Pola, Malaca und Sagunt gesammelt hat, soll hier nicht gehandelt werden; dagegen verdient die Autobiographie desselben, welche er in Form eines Schreibens über den Tod seiner Frau, einer gebornen Corfiotin, im J. 1536 an deren Landsmann Andreas Anesi in Corfu gerichtet und diesem Bande (fol. 157—183; Inhaltsverzeichniss und Nachträge fol. 184—197) angehängt hat, wohl die öffentliche Mittheilung als das Werk eines Venezianers aus den niedern Schichten der Nobilität, der als Professor, als Schiffscapitän, als Gouverneur mancherlei erfahren und vorgenommen hat und davon drastisch genug zu berichten weiss, als ein Bild von merkwürdiger Lebendigkeit und Frische aus der Zeit des beginnenden Verfalls der Republik. Auszüge aus demselben hat Jacopo Morelli (operette 2, 37—59) mitgetheilt, nach einer ihm gehörigen alten Abschrift dieses Briefes; diese ist, nach den von Morelli mitgetheilten Proben zu urtheilen, mit grosser Nachlässigkeit und Willkür und unter Vernachlässigung der Verbesserungen des Verfassers aus unserer Handschrift abgeschrieben worden und dass sie verschollen scheint, nicht zu bedauern. Auch scheinen begreifliche Rücksichten Morelli bestimmt zu haben, nicht gerade die nachdrücklichsten und merkwürdigsten Abschnitte zur Veröffentlichung auszuwählen.

Ueber Giovanni Bembo, den Sohn des Domenico Bembo und der Angela Cornaro, geb. 1473, gest. 1545, und den Herausgeber der ebenfalls jenem Anesi zugeeigneten Annotationes von Sabellicus, Beroaldus, Pius, Politianus, Calderinus und Egnatius (Venet. 1502) ist übrigens wenig bekannt. Zu dem, was Morelli darüber, meistens schöpfend aus unserem Briefe, am a. O. mitgetheilt hat, kann ich noch nach den Mittheilungen des ersten lebenden Kenners der venezianischen Literaturgeschichte, Emmanuele Cicogna, folgende von Herrn Valentinelli mir übersandte Notizen hinzufügen:

Dai nostri libri de' *Reggimenti* risulta che il Bembo come Rettore di Schiati e Scopelo ebbe il suo successore nel 1526.

Dal Codice *Barbaro*, ove si registrano le nozze de' Veneziani, le moglie di Giovanni Bembo è detta Chiara de Mustafa, sua gazzona, cioè sua fantesca.

Nel codice *Farsetti*, intitolato *Nascite*, si accenna ad un figlio di Giovanni Bembo „1517, 14 Agosto Domenigo Bembo nato da Zuanne de Domenego di Francesco, e da Chiara Coriera.“

In una edizione dell' *Isolario* di Bartolomeo Galli Sonetti, del sec. XV, posseduta da Giovanni Bembo in un esemplare allegato dall' ab Torres nel *Prodromo di Candia* il Bembo notò di sua mano sui risguardi, quante galee può armare ogni isola, quanti uomini d' arme può dare, e quale ne fosse la periferia in miglia. Di tratto in tratto registra passi o note tratte da Stefano Bisantino in greco, da Tolomeo, da Plinio, da Pomponio Mela, relativamente alle isole singole. In una carta di riguardo si legge *Joannes Bembus Venetus vici Birii divi Canciani legebat Cretae 1529 die primo Februarii*. In altro luogo *Joannis Bembi Veneti e vico Birio divi Canciani*. Nella quarta facciata di stampa, dopo il verso *Idiles de cui va tanto ognun legendo*, v'è cancellato il terzetto seguente sostituendovici un pezzo ms. di ventiquattro terzetti, il primo de' quali comincia: *La Suda de cui odo . . .* e l'ultimo finisce: *Scopulo e Schiato giunge . . .* In altro luogo scrive: *1541 die 23 Octobris Joannes Bembus Venetus vici Birii divi Canciani legebat*. Quest' ultima data confermerebbe l'asserzione degli *Alberi genealogici*, detti *Farsetti* dal codice che lo contiene, in cui lo si fa morto nel 1545, mentre altri lo dicono morto 22 settembre 1540. Gli alberi genealogici della Marciana, come attesta Morelli, accennano all' anno medesimo 1545.

Da die Handschrift das offenbar für den Abschreiber vorbereitete Autograph des Verfassers und die Schrift deutlich ist, so hatte die Herstellung des Textes nur insofern einige Schwierigkeit, als die ziemlich zahlreichen Nachträge und Verbesserungen

an einigen Stellen sich nicht ganz passend einfügten. Doch ist ein wesentliches Bedenken nirgends geblieben. Die Marginalargumente und die ausführlichen Verzeichnisse der in der Schrift erwähnten Personen und Orte sind weggelassen worden. Ueber die früheren Schicksale der Handschrift ist nicht viel zu sagen. Ein gewisser Giovanni Francesco Negri hat sie besessen und seinen Namen auf das Titelblatt geschrieben. Im J. 1780 wurde auf einem in Bologna gedruckten fliegenden Blatt, das Morelli besass und das jetzt in der Marciana (miscell. 2059 n. 6) sich befindet, eine Handschrift feilgeboten, welche der Beschreibung zufolge nur die unsrige sein kann. Sie muss damals für die Bibliothek in Mannheim erworben worden sein und ist dann mit dieser nach München gekommen.

Joannes Bembus Venetus Vici Birii dñi Canciani de
Cyro uxore sua ad Andream Anesinum Corcyreum
amicum ueterem MDXXXVI.

Proh dolor! Cyro mea obiit tertio calendas Nouembris hora decima noctis. Quae septimum decimum agebat annum et ego uigesimum quartum quando isthic Corcyrae sociati sumus¹. Tunc iussu patris mei Naupactum ire decreui. Currendo autem uel uidi Passas insulas, quae nunc Passu et Antipassu dicuntur, quam postea Passam insulam maiorem et cultam anno 1513 Joannes Abrameus cuius uester a nostris decemuiris emit ducatis sexcentis et tribus millibus. Perspexique Neriton, quae et Leucas dicitur;

(1) Diese Verbindung fand statt 1498, da Cyro 1536 nach 38-jährigem ehelichem Zusammenleben starb. Aus eben diesem Jahre finden sich des Bembus griechische Hefte vor, (f. 8 — 12 der Handschrift) mit der Ueberschrift: *Scrpsit Joannes Bembus Venetus Corcyrae in iudo Joannis Moschi 1498 ms. Augusti. Μονοσύλλαβοι μὲν . . .* Nachher: *Αβανίων μονοδιά εἰς τὸν ἐν τῇ Δάρφῃ νεῶν τοῦ Ἀπόλλωνος.*

et Perimelem insulam Hippodamantis filiam ab Echinadibus semotam (nunc Scopulus dicitur); et Ithacam; quam Leucadam et Ithacam in orientis et occidentis imperii diuisione Venetorum fuerant. Prima Sancta Maura dicitur, Ithaea autem a nostris Val de Compare, quae adhuc Venetorum est. Et ostiis fluuiorum oculis metitis Acheloi et Eueni, Tapho insula et Dulichio aliisque Echinadibus insulis dextrorsum relictis, Naupactum Aetoliae urbem tunc nostram perueni, quae Echinades nunc Cuzolari dicuntur. Inter Acheloum et Euenum, qui nunc Fidari dicitur, fuit regnum Calydoniae, ubi nos Veneti habebamus Angeli castrum, ubi Olenus antiqua ciuitas fuerat. Ibi etiam Veneti habebant Natolicon et Viuaria cum Turri et arce. Naupacti aliquot menses moratus sum.

Rediens Corcyram Ithacam Vlyxis regnum adpulimus; Neriton montem arduum conscendi; et Symbotem iuimus, nunc San Nicolo de ciuita, ubi Aralioes populi ferocissimi, quia corithas illorum monoxila et lintres palatiumque stramine cooperitum combuseramus, saxo fundae mihi supercilium fregere. Quare sanguinolento fronte capite velato Corcyram ad meam Cyra redii. Pauculos Corcyrae annos egi. Illa uero me non inuito post Naupactum a Baseith imperatore Turcorum captam mecum in Italiam nauiga e uoluit. Primum conscendimus nauim Rhisonicam quacum ad caelsam Buthroti uestri arcem iuimus: est enim illa ciuitas aedificata et muri facti et turres secundum Vitruuii praecepta. Et Acroceraunios percurrimus, qui iam Venetorum fuere, et Aulon nauale, quod Veneti emere decem millibus ducatis iam renuere. Et nauis nostra Taulantiorum litora radens nunc Cao di pali et Apolloniam, quondam primam Illyrici urbem (nunc Apollona ab incolis Bulgaris dicitur, a nostris Cao di Sancta Maria) et ostia fluuiorum Apsi et Panissi. Dyrrachii tandem (quod tunc Venetorum erat) anchoris eam fundauimus. Ea ipsa nauis ad fauces sinus Rhisonici peruenimus; sic enim adpellatur a Rhiso ciuitate deleta nunc Colfo di Catharo: iam metropoli Mysiae, ubi in pusillam insulam descendimus, quae est cum sacello diuae Mariae Sagni siue Joannis siue Jaiza cum suis

Soacinae arcis Abduae praefectus a consilio rogatorum factus fuerat. Et me etiam literis admonuit de proscriptione nostrae domus, apothecae et areae ducatis mille quingentis, quos pater meus Rei Publicae debebat ob mercium perditarum tribula. Iisdem litteris etiam erat peiora morte patris contigisse.

Illico clauso didascalio et relicta mea Cyuræ domi Vincentii Carrarii civis Pisaurensis festinanter Venetias properandū transiui per Ariminum Rubiconem fluium et Cesenam Ravennamque et superatis ostiis Padi fossamque Clodiam Venetias ueni. Sed quia areae porta quae est ad litus clausa erat, sine scalis parietem ascendi. Peiora autem quae erant in litteris Joannis Cornelii auunculi mei inueni fuisse: Medicum quendam Joannem Mariam Bononiensem empiricum magis quam doctum accusatione fratris Francisci Georgii ordinis mendicorum in carceribus detrusum, quia euangeliorum simplicem doctrinam uulgari sermone idiotas docebat, in cuius auditoribus fuerat mater mea cum² matronis. Et per multos annos in carceribus fuit; tandem Julius Pot. re cognita Bononiae medicum a calumniā liberauit. Re cognita Soacinum et Cremōnam Cenomanorum urbem, quae tunc Venetorum erat, profectus sum ad stipendia patris exigenda. Satisfeci Rei P. ut potui et domum paternam cum area, immo uitam liberaui, qua nunc uitam traho. Quod si ea carerem, inedia laborarem, quia (ut scis) in studiis inutilibus et in orbe spectando ueritateque perquirenda bonam et meliorem partem uitae meae contriui, quam ueritatem adhuc inuenire nequiuī, quia non in ratione, sed in uolgi opinione consistere uidetur. At frater meus Franciscus subito Pisaurum iuit et ipsam meam Cyuræ cum Faustina infante adhuc uagiente ad me meamque matrem Venetias duxit. Mater cogebat me, ut mihi Cyuræ esset uxor; ego autem reuebam, quoniam requirebam Abbatiam Oppiterginam Sancti Andreae Busci et alia sacerdotia quae in adolescentia habueram; quorum prouentus excedebant

(2) Der Rand abgesehnitten.

ducatos mille. Paulo post a Baptista Mauroceno, patre Caroli procuratoris electus creatus, sui praefectus *Justitiae nouae*, ubi more ciuitatis (nam praeualluit legibus) oportebat nobiles Maioris Consilii quamuis nocentissimos absolueret et permittere eos impune abire, alios uero omnes ob minimam noxam secundum leges dampnare: neque abitionem permittere nisi soluta poena. Collega meus erat Nicolaus Magnus, qui his proximis annis Rector insulae Cephaleneae fuit. Quadraginta quinque diebus in eo magistratu absolutis, ab illa me iniquitate abdicauit. Quando praecones domi nunciarunt me designatum in hunc magistratum fuisse, laetabatur *Cyruw* mea; gestiebat, sperabat et animo spem concipiebat me quoque a Maiori Consilio posse consequi aliquem honorem et magistratum in urbe uestra *Corcyrea*: ut ipsa in sua patria ueneretur et cognatis et amicis prodesse posset.

Dein gerariae et onerariae *triremis*, quam nos uulgo *Nundinariam* dicimus, ad *Africam* praefectus fui factus impensis Caroli Contareni, patris Marci Antonii equitis, qui diu fuit orator Venetorum apud Imperatorem et in castris cum eo in *Tuneti* expugnatione, et impensis etiam Baptistae Mauroceni, patris Caroli procuratoris Sancti Marci: cuius quoque *triremis* particeps erat Georgius Cornelius procurator, Catherinae Cypriae Reginae frater, ob quam Cypri insula cum toto regno sine bello facta est Venetorum. Quae regina adfinis nostra erat causa matris meae et Joannes Quirinus, *Astypaleae* Insulae *Cycladum* regulus et in academia *Benedicti Brugnoli* condiscipulus meus, qui impensa sua monumentum marmoreum in minorum aede *Benedicto Brugnolo* praeceptoris posuit. Erat tunc *Cyruw* mea praegnans; laetabatur se a *triremium* turmis *κατεργακῶριαν* uocari. Aequora autem et tristis imago ponti meam *Cyruw* perterrefaciebant et nauigationem longam et periculosam formidabat circueundo *Africam* ad *Herculis* fretum et columnas usque, et postea *Hispaniarum* litora atque iterum *Africam*. Alterius *triremis* praefectus erat *Sebastianus Delphinus* Sanctae Marinae. His primum *triremibus* iuimus *Polam*; *Histriae* urbem, *Colchorum* opus. *Cyruw*

regis Hispaniarum, a Mauris bello rapuerat. Postea uelo transuersauimus mare Balearicum et Ibericum et ad oram Hispaniae Bethicae adpulimus, quam Granalam dicunt. Inter nauigandum uidimus tres maximos pisces immania cete in mari pariter nautantes, magnitudine instar triremium nostrarum, quos pisces Gao de oio nautae nostri dicunt. Et descendimus Malacam, ibi uidi duos camelos albos quales Asiatici Scythae et Tartari habere dicuntur. Erat Malacae apud episcopum Antonius Saleius Graeca et Latina eruditione praeditus, a quo hospitaliter fui tractatus. Et mea causa episcopus mercatoribus nostrarum triremium sollemnem conuiuium exhibuit. Vidi etiam ibi duas pantheras adligatas catenis cum maximo pondere saxi pendentis e collo. Dein Abderam siue Armeriam quibus duabus ciuitatibus faeminae utuntur tunica breui et brachis laxis. Et Valentiam Tarraconensium, claram Hispaniae citerioris urbem. Tunc fama excidii Saguntini pellexit me cum Joanne Parthenio Touar, Hispalensi poeta, Saguntum ire quod a Valentia distat quindecim millia passuum: uestigia maxime urbis adparent et templum Dianae conspicitur non multum dirutum et theatrum integrum cum suis scaenis in decliuo montis aedificatum. In cuius urbis Saguntinae area nunc est parua urbs dicta Monuedro, Sagunti multa episthaphia descripsi. In hoc nauali itinere mea Cyruo plurimas ad me literas miserat in Siciliam, Africam Bethicam et in Hispanias, quibus illa coram loqui necum uidebatur, nec aliud quam literas de mea ualitudine a me postulabat seu potius flagitabat.

Consumpta hac nauigatione undecim mensium^o, peractis eo

(9) Sie fand statt im Jahre 1505. Die Inschriftensammlung enthält eine beträchtliche Zahl von Bembus in Pola und in Sagunt abgeschriebener Inschriften, beide mit der angegebenen Jahrzahl, die Saguntiner Abschriften auch mit dem Tagdatum (Saguntii 1505 die 9 Januarii) bezeichnet; auch einige theils von Bembus aus dem Stein abgeschriebene, theils von dem oben genannten Antonius Saleius mitgetheilte Steine von Malaga. Auch einige wenige griechische Inschriften von Syrakus und den Inseln des Archipels finden darin sich vor.

cursu undecim millibus milliariorum (ut neotericis uerbis utar), Venetias rediens te Aedile tempestate isthuc uenimus quod Ancilla tua Eudochia uetula recordatur. Et in Phara insula fuimus Demetrii Pharii Illyricorum regno, ubi turmae triremium nostrarum et ego doliis inanibus animas uini nobilitis et generosis infudimus. Domum tandem Venetias peruoni inuenique puerulum natum e mea Cyur ω quem mater mea suo gremio sustinebat. Nomen pueri erat Cornelius a familia matris meae, nam mater Antonii Cornelii filia fuit, propago Marci Cornelii, Venetiarum Ducis. Ter deinde aduocatus magnus omnium curiarum palatii electus fui cum Carolo Contareno, qui legatus in castris nostris obiit et cum Thoma Donato, nunc Veronae praetore. His sex annis quibus aduocatus fui, Cyur ω mea clientes meos quorum causas fouebam, hilare accipiebat, blande et leniter dictis bonis adloquebatur eosque hospitaliter tractabat. Curauit mea Cyur ω filias discere literas Palladiasque artes, suere, telas et serica pectine percurrere et eas semper exercuit omnibus in rebus domesticis quae ad bonam matremfamilias pertinent. Quamuis Graeca esset, non multum tamen Graecos amabat. Parca certe mea Cyur ω erat, adeo ut de suo parcimonio domum aedificauerim quae nunc tredecim ducatis annuis locatur. Et quum mea Cyur ω praegnans esset, uolui abolere uulgi opinionem qui uires naturae ignorat ipsamque mihi amore iam decimo nono anno foedere coniugali iunctam legibus pontificiis Venetisque anulo aureo mihi perpetuam feci. Adhibitis religiosis testibus grauibusque Baptista Egnatio, publico Venetiarum lectore, et Petro Sonica, utriusque iuris doctore, et Hieronymo Pisauri Nicolai filio, qui fuit anuli minister siue ut aiunt anuli Compater, qui Pisaurus his annis et Sapiens continentis fuit et Aduocator communis; fuere etiam testes plebanus S. Mariae nouae et plebanus S. Canciani et aliquot alii probi uiri. Hoc nostrum uinculum et ut aiunt matrimonium eadem die κατὰ τοὺς νόμους detuli apud Aduocatores communis. Tertio decimo die post haec sacra natus est infans qui, ut nomen aui referret, Dominicus adpellatus est. Sed quidam tunc Aduocator

communis natus¹⁰ matre gentis et nationis ignotae aduersabatur nobilitati Dominici, quia grauida muliere matrimonium factum fuerat. Hanc obiectionem lex extinxit. dicit enim lex: filius natus ante matrimonium non sit maioris Consilii, ergo filius natus post matrimonium erit maioris Consilii. obmisso hoc ipse Aduocator obiecit genus matris. Ego quoque lege hanc rem purgavi, quae lex ait: Si quis ducet uxorem humilis generis, eadem die deferat apud Aduocatores. Hic autem Aduocator lege intellecta tergiuersabatur neque infantem scribi patiebatur in libro nobilitium, ego nero paravi fautores meos Joannem Baptistam Adrianum, Secretarium Consilii decem, et Baptistam Maurocenum maritum . . .¹¹ sororis Catherinae Reginae Cypriae, qui Maurocenus tunc Decemuir erat. Aduocator quum intellexisset se a me ad iudicium Xvirorum uocandum dixit, fautorum meorum gratia se mihi adsentiri, ego autem respondi: metu legum. Tunc Franciscus Cornelius Georgii f. consobrinus meus et Hieronymus Amaserius¹² apud Brugnolum condiscipulus meus de more legis iurauerunt, Dominicum infantem filium meum ex Cyruo legitima uxore mea natum esse. Has autem omnes cerimonias nostras Philippus Zambertus, primus Aduocariae scriba, in libro nuptiarum ordine scripsit honoratus.

Postea ego quam plurimis repulsis a maiori Consilio demum ab eo creatus fui rector Sciathi Scopelique, insularum Euboeae, quo libenter ire decreui, quia uidebam bella futura. Nam Franciscus rex Galliae non stabat legibus et pactis quae ipse captius Carolo imperatori promiserat. Me prae gaudio Cyruo mea complexa est et hac re ita laetata ut laetitia difereretur, non tantum quia sibi maritali honore aucta uidebatur, qui honos sentina est honorum Maioris Consilii, quamuis natura et situ loci altera Pheacum Corcyra illic fieri posset, quantum quia mea Cyruo

(10) Schreibe nati.

(11) Leer gelassen.

(12) So ist das unleserliche Wort aus dem Index zu ergänzen.

sperabat ex lucro Sciathio posse filiabus dotem parare, quae tunc tres integrae erant, Polymnia Urania et Angela. Nauigatio ad Sciathum fuit naui Psychia Cretensi, quam Psychiam nunc Sphachiam uocant, qua iter Venetiis parauius ad Craetam. Solutis anchoris aduersa tempestate iuimus Parentium, Histriae urbem. Superato Adriatico sinu non longe a Saxone insula, statione piratica, uidimus quam plurimas Pelamides satis magnas saltu uenantes alios pisces. Vidimus etiam Ericusam insulam, nunc Merlere a nostris dictam, et insulam Marathem nunc Samotrachi et Elaphusam et Toronem a nostris Fanu dictam. Post Corcyram austrum uersus apud Phalacrium ipsius insulae promontorium uidimus Scopulum de naui Ulyxis factum, qui a Latinis nautis dicitur Gallola, a Graecis autem *Κατεγο*. Descendimus Zacynthum et laeua Laconum insulis relictis Cothone et Cythera, nunc Anogo et Cerigo, dextra autem Epla a Latinis Cicerigo sed a Graecis *κικιλίου* dicta, Rithymiam, Crete urbem, iuimus. Tandem Minoa adpulimus, ut quidam credunt, ubi nunc urbs metropolis est quam Candiam Latini adpellant a Candachi, id est fossa e qua molibus maximis manu factis portus est. Eo portu inueni aliquot Sciathios cum suo Myoparone, quem nouo remigio instruxi. Nam emi a Delmatis qui naui in eo portu erant duodecim remos palmulas latas habentes, qui fuere conlocati super scalmorum proiecturas, quae in Myoparonis lateribus impensis meis positae fuerant. Tunc Cretae dux erat Nicolaus Georgius filius¹³ qui etiam praefectus urbis illius erat ob mortem¹⁴ Marcelli. Aerarii quaestores erant Marcus Magno, Joannes Longo, Marcus Antonius Bragadeno. Ibi salutaui doctorem meum litterarum Graecarum Aristobulum, Millessiae Epidaurique archiepiscopum, in lecto podagrante, qui mihi dixit se nolle mori Cretae, sed Venetiis aut Romae. Ibi etiam erat Joannes Dominicus Methoneus qui secundum gradus

(13) Leer geblieben.

(14) Ehenso.

formabat et Graece pingebat situs et loca Ptholomei cosmographi. In illius ciuitatis cancellaria comparauit amicitiam Georgii Madiotae, cuius illius urbis, adolescentuli egregii, cuius formam et Graecae et Latinae litterae mirum in modum ornabant. Et quia salaria Rectorum insularum Sciathi Scopelique soluuntur a quæstoribus Cretae, procurauit cum Georgio Franchino litterarum studiosorumque amatore, qui onus aerarii sustinebat et scribarum maximi uices, habere praecociter premature et ante tempus aliquid de salario meo futuro; quod ille (ut officiosus est) studio diligentiaque celeri statim perfecit. Quem postea Franchinum Andreas Griti Dux noster Venetiarum iussit obmissis omnibus Craetae negotiis Venetias properanter uenire eumque in sua ducaria inferiori cancellaria conlocauit. Incedens mea Cyro per urbem Craetae audiebat praetereuntes et ambulantes dicere: Haec est uxor et marita Rectoris insularum Sciathi et Scopuli. Ipsam alii salutabant dicentes *χαίρε κυρία γεροῦρα*. Quantum gaudii et laetitiae putas tunc fuisse in mea Cyro, quando a populo a nautis a ciuibus et nobilibus sic se uenerari uidebat? Eo Myoparone nauigauimus Aegeum pelagus. Dia insula nobis a dextris erat, Therasia, quae Scandia dicitur, S. Erini et Polyegos, a sinistris uero Melos Siphnos et Jos quae dicitur Nio. Iuimus ad Paron Insulam et Naxon, ubi *Βασιλία* nostra impleuimus religioso uino de uilibus a Libero patre plantatis. Postea Delum et Rhenam uidimus nunc Sdile, Micona et Tina Venetorum, quae dicuntur Tine et Micone. Velo ambulando sinistrorsum reliquimus Cranam insulam, quae postea Helene dicta, quia in ea Alexander Priami regis filius rapta Helena Lacedaemonē primum cum ea coiuit. Nunc uero Macronissos dicitur et in Andro Glycerii patria nauim firmauimus. In Andro cum Berto Summaripa insulae regulo xenii et apophoretis certauimus.

Relicta Andro navigans oram Euboeae insulae, quam iam anno 1470 die XI Iulii Maumeth imperator Turcorum classe et exercitu 30. die maxima nostrorum strage expugnauit, uidimus Caristum ciuitatem, unde mille naves Graecorum soluerunt, quando ad expugnandam Troiam nauigarunt. Et Caphareum promontorium,

ubi Nauplus rex Euboeae, ut ulcisceretur mortem Palamedis filii, classi Argiuorum redeunti post excidium Troianum nocte tempestate laboranti ardentem facem in Caphareo extulit; quo Argiurum ingredi putantes in asperrimos scopulos inciderunt et multa naufragia fecere. Qui Caphareus nunc Caodoro dicitur. Et Cumas Euboicas adlapsi sunt. Tandem ad Sciathum ipsam peruenimus quae contra Magnesios Strabonis tempore nobilissima insularum erat, sed nunc Magnesiorum nomen perditum est. De hac Sciatho Titus Livius¹⁵ de bello Macedonico lib. secundo ait: *Nec Philippus segnius (iam enim in Macedoniam pervenerat) adparabat bellum. Perseam puerum admodum datis ex amicorum numero qui aetatem eius regerent cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quae ad Pelagoniam sunt, mittit; Sciathum et Peparethum haud ignobiles urbes ne classi hostium praedae aut praemio essent diruit.* Sciathus seruat nomen. Stephanus de urbibus ait: *Peparethus est una ex Cycladibus.* Haec Peparethus insula nunc a nautis dicitur Diadromi, a Sciathiis dicitur Prepathora. Longitudo est XXX M. P., ambitus LX M. P., latitudo VII M. P., Sciathi ambitus est XX M. P., latitudo VII M. P. Stephanus ait: *Sciathos insula est Euboeae.* Distat autem Sciathos ab Euboea insula XX M. passuum. Scopelos autem insula longe est a Sciatho quinque M. P., cuius longitudo est XXX M. P., latitudo uero XII millia passuum. Habebat episcopum, sed eius civitas post Euboeam a Turco captam fuit diruta et insula usque ad meum aduentum deserta. Ego autem constitui in ea insula tanquam asilum, et 60 familiae cum 60 paribus boum eam coluere, uiri fortes et ad propellendos piratas audaces.

Post Scopelon insulam insula est quam dicunt Xero, quae et ipsa nunc Diadromi dicitur, statio Villamarini quando piraticam exercebat; ibi habebat furnia quibus panem et biscoctum coquebat; quae insula Xero a Scyriis dicitur Basilico. Quae Xero insula longitudine complet XV milia passuum, latitudine quibus-

dam locis duo quibusdam 4 et quibusdam sex m. p. Postero die intellexi duas piraticas biremes Teucrorum Asiaticorum fuisse post Scopuli insulae promontorium in insidiis collocatas, quae ut videre remos nostros latos et uexillum meum purpureum, nos adgredi dubitarunt, putantes nostrum nauigium Praefectorium esse et reliquam classem nos consequi. Quae eorum falsa opinio a caede uel saltem captiuitate nos omnes seruauit. Quae duae biremes in insula — longitudinis 18 M. P., distante a Lemno 18 M. P. — Sciathinos 6 colligentes Velanides et glandes captiuos fecerant et unum interfecere. Quae dicitur a Stephano *Néai*, fuit autem ipsa *Néai* et Lemnos Venetorum, *Née* nunc S. Strati dicitur, Lemnos autem Stalimene a Latinis. Libet etiam memorare sacra quae, prout est hominis religio, quisque facit, quae Anaclituri ab ipsis dicuntur pro manibus mortuorum. Implet uindemiarum tempore dolium capax 24 utrium uini in honorem alicuius sancti quod dolium Vagenam dicunt e quercu circulis cinctum, sed prius intus commissuras rezina illitis, quae res duo praestat ne dolium perfluat et ut uinum rezinatum sit. Quando uenerit dies profestus illius Sancti, cui dicauit uinum, adhibitis Sacerdotibus qui terebrant dolium et uinum depromunt et illo uesperis comedunt. Postera autem die elixant iuuenecam aut 4 uerueces aut 4 hircos castratos, quos sphacta adpellant, conuiuium solenne uiris mulieribus et uirginibus faciunt, dantes unicuique conuiuae scutellam cum carne et iure. Dant etiam in hoc conuiuium caseum et pincerna cum uase uinario circuit mensam et cum patera argentea, quam illi cupam adpellant, ordine conuiuis ministrat potum. Ad Praetoris autem palatium mittunt scutellam cum iure et carne et uasculum uini et panem. Sciathiarum etiam nuptiarum ritum intelliges¹⁶.

Omnia per biennium in Sciatho satis bene cessere: quamuis piratae Teucri quotidie abigebant pecora et insulanos terra marique capiebant et abducebant, quia uiremium Venetarum ductores aut Corcyrae aut Zacynthi aut Craetae pecunias

(16) Es folgt eine leere Seite in der Handschrift.

ludunt et eas scortis crapulando consumunt, quibus triremium turmas legibus alere tenentur. Omnia inquam bene cessere, praeterquam quod scriba meus stuprauit filiam meam Uraniam et bis eam gravidam fecit. Fecit autem primo partu abortum artibus ipsius scribae radice maluae pice intincta. Et rursus ipse scriba conatus est ut puella secundum foetum ejiceret, sed puella prae timore noluit, quia in primo abortu mortis periculo laborauerat. In media urbe frequenti populo edicto meo a carnifice testes ipsius scribae exempti fuere, ne amplius infanticidia committeret. Ob hoc fortasse nouum iudicium nouamque poenam quinquies post meum aduentum repulsam passus sum, quamuis pro me fuerint suffragia DLXXX. Sed semper melior pars a maiori vincitur. Hi uero absurdi derisores improbi, scelesti ipocritae et nequitiae stabula qui me obprobant: mordicus ludificant et me nequiter fecisse adseuerant: putantes me in crimen bonis ponere atque infamiam. Sunt ex his qui pluribus uerbis deos salutant et palam coram populo duobus genibus inclinatis rem diuinam faciunt, ut ab omnibus conspiciantur: neque in aliqua re ualent nisi suo uano sermone et testiculorum euulsorem me adpellant, a suis uxoribus admoniti, quae ut infantes crepundiis, ita ipsae testiculis adulterorum ludere delectantur. Testicularii huius iudicii fama non modo uagata et per Graetiam Thessaliam Thraciam, uerum per Hellespontum et Cyaneis Symplegadibusque insulis superatis Pontum Euxinum penetravit, et praetereundo oram Calcedoniorum, quae nunc Scutari dicitur, per Paphlagoniam Sinopem a Lucullo Romano iam subactam Diogenisque patriam Gallatiorum Cappadocumque aures impleuit, apud quos nos Veneti Trapezum habuimus *λόγιον* et forum et domos et castrum nobis ab imperatore Trapezi datum, quod castrum a nobis fuit corroboratum et muris munitum et uexillum S. Marci Veneti in illo tantum erigebatur. Rector autem illius castri creabatur Venetiis. Illius tituli erant Orator, Baiulus et Rector. Orator ad Imperatorem Trapezi, Baiulus propter mercatores, Rector autem quia non solum causas pecuniarias iudicabat, uerum etiam maleficos puniebat. Penes hunc Rectorem sedebant

duo Consilarii electi Trapezi. Merces Venetae singula centena auri aureum soluebant. In castro Venetico Trapezi Veneti habebant scribas, interpretes, praecones et alios ministros, publico stipendio solutos ipseque Reclor quotannis habebat ducatos quingentos. Tunc Venetis erat commercium cum Armeniis Azamis et Persis et in Turisio, nunc Tauris, Veneti habebant Consulem et frequens erat uia Venetis a Trapezo usque Tauris et a Tauris Trapezum usque. Tunc etiam Veneti habebant Consulem Ephesi, quae nunc a nostris Allologo, a Graecis Theologo dicitur. Octo et interdum decem onerariae nundinariaeque triremes nauigabant in Pontum Euxinum, earum partim Trapezum, partim Tanam et partim ad alia loca. Ipsa fama Pontum, regionem Medae, etiam uelociter pertransiuit, ubi nunc habitant Lazei, Colchosque et Phasida fluuium et Cercetas populos, Mengreli nunc et Cerchasi dictos, profecta tandem paludem Meotidem ingressa permense amne Tanais 18 millia passuum Tanam ciuitatem peruenit. Quae ciuitas Tana Venetorum fuit ipsamque ab Usbech et postea a Zanibech imperatoribus Tartarorum habuere. Quorum imperatorum regnum erat usque Astracam siue Citracham, emporium et regiam imperatorum, quae ciuitas Citracam sita e(st) super fluuio Vo(l)ga Edil siue Rha ubi flui(t) in mare Caspium. Nostri autem totum regnum appellabant Gazan. Et saepe Tana diruta, depredata et combusta a Tartaris. Sunt autem Tartarorum imperia XL, qui habitant in plaustris et quidam habent camelos albos. Praeda autem anni 1344 fuit quatercentena millia ducatorum et plurimi Veneti interfecti. Nundinariarum nostrarum triremium tempore hanc Tanam ciuitatem moenibus et turribus cinxere, iactis prius fundamentis lapideis ea parte urbis, quae adluitur a Tanai fluuio. Arcem etiam supra uersus montem cum duabus turribus et maxima fossa fecere, ut capta ciuitate esset confugium uirorum mercium et aliarum rerum; murorum ambitus fuit CCCCM passuum. Michael Stenus Dux anno 1400 Tanam misit Petrum Lauredanum Consulem et Rectorem, cuius salarium quotannis erant ducati DCCC. Habebat socium Admiratum, quinque famulos, quinque equos. Tanae etiam erant Consilarii

duo nobiles Veneti, cuiuslibet salarium menstruum erant duo summi. Erat autem summus soldorum decem grossorum qui faciunt ducatos X. Dicebant ius in causis pecuniariis et gladii potestatem in maleficos habebant. Habebant XX ballistarios et armamentarium, sclopetos 50, bombardas, ballistas cum suis sagittis et scuta oblonga. Erat etiam ibi interpret linguaue Tartarorum et Schytarum et Praecones tres et aliquot Bastonerii, omnes publico aere soluti. Ea ipsa fama modo currens modo nauigans modo uolans has omnes regiones hoc testiculari iudicio compleuit.

Haec eadem fama non his maximis itineribus et cursibus contenta ad Britannos, toto orbe diuisos, subito etiam aduolauit. Nam in sinu Paegaseo, qui nunc Voli sinus dicitur a Volo ciuitate super colle posita — ubi (ut fama est) Constantinus imperator dicitur ante Constantinopolim aedificatam condere uoluisse Constantinopolim in Demetriadis uestigiis, ubi ante fuerat Paegase ciuitas — in hoc sinu tunc Britannorum naues frumentabantur. Nulla enim nauis Paegaseum sinum ingredi potest, quin praetereat Sciathum insulam. Intellexi omnibus his in locis iudicium hoc a uiris peritissimis et in maximo gradu constitutis mirum in modum adprobatum fuisse. Nec mirum, quum fecerint et hoc illustrissimi exercituum Imperatores Bartolomeus Coleo Bergomas, cui Respublica Veneta aeneam statuam equestrem erexit in platea diui Joannis et Pauli, et Joannes Jacobus Trautius Mediolanensis. Primus fuit Venetorum exercitus Imperator, alter exercitus Ludouici regis Gallorum. Qui Ludouicus Gallorum rex et Maximilianus imperator et Julius pontifex Camerici in Venetos coniurarunt et ciuitates et oppida Venetorum inter se in coniuratione nullo iure diuisere. Sed Gallus, contempta religione, motus leuitate, auaritia et cupiditate habendi, foedus quod cum Venetis habebat tunc uiolauit. Maximilianus uero et ipse ruptis induciis quas cum Venetis habebat ut Forum Julii, Patauium, Veronam et alias Venetorum urbes haberet, in coniurationem adcurrit. Julius summus pontifex ut uerbera, quae in adolescentia tulerat a suis heris, quando Valentiae nostris mercatoribus et Venetiis Simeoni magistro scribae triremium nostrarum famu-

labatur¹⁷, rei p. Venetiae restitueret, iniquae coniurationis auctor fuerat, qui Julius verrendo pavementum domus ipsius heri sui Simeonis affectus fuit bonis nunciis, patrum suum Cardinalem factum et paucis ante diebus furatus fuerat ex manica ipsius domini duc. duos. Hic autem Trautius ille est, qui apud Abduam annem exercitu nostro disiecto Bartholomeum Liuanum, robur exercitus nostri, captiuum fecit. Sed Coleo coegit sacerdotem per se more castoreorum sibimet testes amputare, Trautius autem domestico testes euelli iussit. Et hoc clari imperatores fecerunt, quia et sacerdos et domesticus cum ancillis familiaribus coierant. Sunt etiam plurima huius rei exempla et neoterica et uetera et antiqua, quae surdi uirtutis et Cinaedi et meretricum mariti improbi natiue homines et uno ut uerbo complectar ultiorum fontes intelligere minime curant.

Et nunc post mortem meae Cyur^o aliquot mercatores Thessali Pharsalii et Larissei hic Venetiis adseuerauerunt, edictum hoc meum ab omnibus illarum regionum laudatum summo opere fuisse et sancte adfirmantes iureiurando adprobatum maxime fuisse a Cadibus et Praetoribus Teucris, uiris doctis et legum peritissimis, qui in mea stant sententia. Qua ex re sperabam ciues meos mihi gratias relaturos, quod illorum familiis hoc exemplo prospexissem, nequis posthac eas corrumpere foedareque auderet. Verum aliter euenit. Maxima enim pars eorum qui inani magnificentia salutantur, patricorum dico et ceruorum (nemo enim probae honestaeque uitae hoc damnat) perfidia, insipientia et uiliis pleni hanc rem contemnunt, improbant et exprobant, quia gaudent uxores suas et utriusque sexus liberos prostare. Et ipsi etiam turpiter patiuntur et mercede conducunt Lampsacenos priapos, ut anum suum bene impleant sibiue uescam frequenter fodiant. Rem hanc testatur ample Decemuirale decretum: ut cinaedi qui lege Orphei usque decimum octauum annum

(17) In der frühern Fassung wird er genannt scortiger Venetis mercatoribus Venetiae et pincerna Simeonis magistri.

praecidebantur patiebanturque, quod quidem adhuc lege Minois seruatur a Cretensibus, perpetuare impune possint usque trigesimum annum. Sed quum paucis legibus et decretis ciues mei pareant, huic mercatores priaporum et dedecorum preciosissimi emptores penitus non parent, sed usque in senectutem decrepitamque aetatem suam priapeiam producunt mercaturam. Quae omnia neque stulte neque impudenter neque aliqua perturbatione animi a me dicta putes, sed ita uera sunt, ut Christus noster cruci ab impiis Iudaeis fixus fuit. Tuum igitur, amice mi, erit iudicium, utrum ego pudicitiae fauens errauerin, an rabulae et ueritatis caeci et stultis moribus imbuti hallucinentur. Nam quid aliud est dedecorare hoc iudicium meum et male de eo loqui, quam fateri, licere Tauro, regis Minois scribae, comprimere Pasiphaem reginam ipsius Minois coniugem? Quum ergo mea Cyraw intelligeret et sentiret, me sic a perditis impudicisque uiris contemni, cor suum dolore magno cruciabat: me autem solabatur, ut me intra pauper meum patrimonium continerem eoque contentus uiuerem et magistratus et honores multis obfuisse praedicabat: Andreae Zanchano, adfina nostro, legato in castris, quando XII milia equites Turcorum prouinciam Fori Iulii depredarunt, et Antonio Grimano, praefecto classis et quam plurimis aliis, qui relegati fuere ob existinationem tantum Reipublicae retinendam. Nam Grimanus uiriliter et prudenter apud Sphagiam insulam e regione Methonis, Sapientiam uocatam (ut scis), classem nostram contra classem Teucricam probe instruxerat; sed qui ductores nauium triremiumque non fuere Grimani dicto audientes, sed aufugere, absoluti sunt a Maiori nostro Consilio; at ipse Grimanus fuit relegatus in Illyrico in insulis Chrepsa et Apsoro. Tandem quum ob bellum Camoracense multum Respublica laboraret de summaque rei ageretur, reuocato Grimano ab exilio et in procuratoriam dignitatem restituto non parum Respublica eius prudentia, consilio et sapientia respirauit Duxque Venetiarum ereatus. Dicebat etiam mea Cyraw, quod si Aloistus Gritus, filius Andreae Griti, Ducis nostri Venetiarum, se abstinuisset ab administratione imperatoria exercitus Solomani imperatoris Teucrorum

et fines suae mercaturae non transiluisset, tantam cladem rerum suarum et filiorum mortem a Transdanubianis non uidisset, neque post tantos cruciatus uitam suam asperrima morte commutasset. Summa autem erat consolationis iudicium esse multorum; et si quis eos multos defecaret aut Maius Consilium, quod ex duobus millibus constat, decoqueret ut opifices argentum, quod pustullatum efficere uolunt: uix hos 590 reperias, qui prome fuere et sunt et factum meum adhuc defendunt et adprobant.

Cupiebat Cyur ω mea, ut duae filiae nostrae coniugarentur, et ego quoque cupiebam et optabam. Sed lex est: posse dotare filiam quatuor millibus ducatis. At ignaua iuuentus sedendo in Academiis lusoriis expectat sibi dotem dari quatuor millium ducatorum, et etiam, quamuis imperitissima sit, parere diuitias ex honoribus et magistratibus, quibus duobus Veneta iuuentus torpet domi et quotidie ignauior fit. Sed quia mea Cyur ω sciebat peculium nostrum et censum non excedere duo millia ducatorum, hanc ob rem paupercula sese macerabat. Accedebat dolori missellae, quod Modestinus filius noster qui, dum paruus esset, grammaticen, poeticen et Arithmeticen ita discebat, ut omnibus aequalibus anteiret, postea uero, quam ex ephebis excessit, ita libros odit ut aperire eos metuere uideatur, nec studet alicui rei, quae ad uirtutem frugemue pertineat. Et quia alter filius Dominicus ob matrimonium meum cum mea Cyur ω secundum ciuitatis leges factum Venetam Maioris Consilii nobilitatem siue arrogantiam et superbiam adeptus est, dedignabatur meam Cyur ω , suam esse matrem et saepe obiiciebat nationem, patriam, genus et indotatam esse, pluraque alia eiusmodi. Cogita tu et animo tuo uersa, quomodo illa filiorum et ignauiam et conuitia tanta pateretur? quae gratiam ab illis gratam expectabat? His morbis animi adcessit etiam morbus corporis, quo die quinto decimo continentibus et continuis febribus sine remissione ardentibus mortua est.

Quum meam Cyur ω , sed non amplius meam, sacerdotes ipsae Sanctae Mariae miraculorum lauerunt et illa induta fuit ab ipsis religiosis uestimentis Sanctae Clarae — sic enim se mea Cyur ω

sepeliri iusserat ultimis suis elogiis — domi cadauer a uigilibus seruatum quatuor et uiginti horas, inde exportatum in aedem Sancti Canciani. nam ea *δωϊκῆσις* nostra est, ibi iacuit donec omnia sacra peragerentur. Fuerunt in funere quadraginta sacri sacerdotes, collegium corporis Christi et sacerdotes mulieres duodecim candelas semilibrales accensas manu portantes. Cadauer autem erat saeptum a duodecim sacerdotibus cum totidem quaternarum et senis librarum caereis bambaciis quadrifariam iunctis. Postea delata est procedente pompa in sacellum ipsarum sacerdotum S. Mariae miraculorum, quarum ego iam multis annis cum Laurentio Lauredano, Lauredani Ducis filio, fui procurator, et etiam nunc sum cum Hieronymo Quirino decemuiro et aliis probis et honestis uiris. Sacris iterum absolutis a sacelli sacerdotibus in ipso sacello sepulta fuit in sepulchro lapideo marmore cooperto. Hoc tibi meae uerum et sociae meae uitae curriculum descripsi, quae mecum uixit annos XXXVIII menses II. dies XXX. horas X.

His absolutis, ne curae, lachrymae, ploratus et moesti clamores domi cessarent, sed dolor dolore luctusque luctu cumulate augetur, Angela filia mea XII die post matris obitum mortua est, ita ut intra uigesimum septimum diem fata crudelia et praepostera natura me uxore charissima dulcissimaque filia priuarint. Quarum morbos non cognitos a medicis — latini enim medici mederi conabantur Dialectica suisque Syllogismis, medici autem graeci auctoritate et existimatione. Itaque intelligis, in quo nunc statu et quot moeroribus coaceruatis tuus Joannes Bembo uersetur. Postquam haec multis et maximis suspiriis et oculis flentibus tibi narraui, ut etiam amorem nostrum socialem quis fuerit perspicias, accipe prolem sobolemque nostram Cyurigenam Bembigenamque. Nam Cyur ω mea mihi peperit Faustinam Pisauri, imperante Duce Valentino, filio Alexandri VI Pot. Compates fuere eques Boschi Valentinus Hispanus, praefectus arcis Pisauriae, Bernardinus locitenentis Moecenas, uir satis doctus et aliquot alii uiri alicuius numeri. Polymniam autem Venetiis peperit, quam christianam fecit Aldus Manutius Romanus, Graecarum

literarum reparator et latinorum librorum propagator, et Scipio Crateromachus Pistoriensis, lector graecus, quibuscum domi ipsius Aldi coenauimus, quando primum orator pro tua republica Venetias uenisti, et Hieronymus Amaserius Foroliuiensis, humanitatis publicus Venetiis professor, quocum etiam tunc locutus es, doctor Fausti, qui in Veneto nauali quinquerehem extruxit, quam instructam et ornatam Corcyrae saepe uidistis et ego Cretae. Et Uraniam mihi fecit, quam Frater Jocundus Veronensis consilii .X. maximus architectus baptizarat, qui primus a Joanne Marco Lendenariae optices peritissimo adiutus: et a me aliquantulum et a Nana¹⁸ Germano mathematico atque in dictionibus graecis a Joanne Lascari legato Ludouici regis Gallorum, primus inquam Jocundus Vitruuium de Architectura cum figuris et formis Tacuino impressore Venetiis deprompsit. Postea mihi Modestinum edidit. Compatres fuere Bartholomeus Fin doctor, Aduocatus maximus et Joannes Abrameus, ciuis uester. Dominicus autem, qui post matrimonium Venetum natus est, baptizatus fuit a Jacobo Franco Rauennati et Matheo Fideli aduocatis et Bernardino Cabalino doctore, etiam Aduocato, olim condiscipulis meis in academia Benedicti Brugnoli. Matheus autem Fidelis nunc etiam ipse in foro nostro est inter maximos Aduocatos. Fuit etiam in his Zacharias Priolus, Nicolai filius, Academicus antiquus. Praeter hos peperit Cyur ω mea Cornelium, qui uixit annum, et Joannem Baptistam baptizatum a Bartholomeo Zamberto, graecae latinaeque linguae bene erudito, Venetarum legum scrutatore, qui uixit dies sex. Peperit et Prudentium, quem baptizauit Joannes Baptista Egnatius¹⁹ Venetiarum lector et Marcus Massurius Craetensis, literarum graecarum publicus lector et iam discipulus Aristobuli, Epidauri Milesiacque Archiepiscopi, literarum Graecarum praeceptoris mei et Joannes Baptista Adrianus,

(18) Nana steht über der Zeile, in der eine Lücke für den Namen gelassen ist.

(19) publicus fügt Morelli ein.

Secretarius consilii .X. et Nicolaus Gambus, poeta et magister sigilli Ducis reique publicae Venetorum, iam omnes condiscipuli mei apud Brugnolum. Interfuit quoque his sacris Raphael Regius, publicus lector in Gynnasio Patauino. Vixit Prudentius annos II d. XXVII. Sed Aloisius Annualis, doctor et oratorum palatii Venetiarum nunc pater, et rerum publicarum publico stipendio aduocatus Fisci baptizauit Thalam; quae uixit menses VII. dies XIII, cuius Annualis exquisitam uitae rationem res eius familiaris et peculium facundia sua et laboribus partum nunc ample demonstrat. Auctoritatem uero maximam et tantam existimationem apud omnes sua bonitate et uirtutum tramite consecutus est. Fortitudo autem et animi altitudo et grauitas uiro digna superioribus annis manifesto adparuit in Joannis Marii morte filii e primo coniugio dulcissimi. Nam filii unici mortem ita aequo animo, sapienter et fortiter tulit, ut non illum beniuoli et amici dolentes et moesti propter filii mortem consolarentur, sed ille rerum fortunam intelligens in tanta re non perturbatus eis consolationis officium praestare uideretur. Petrus autem Sonica, doctor et Aduocatus maximus, et Marcus Scinela, etiam Aduocatus et Paladius Soranus, poeta et iam condiscipulus meus in Gymnasio Brugnolino, baptizauit filiam meam Angelam quae matris meae nomen reportabat. Cuius *χρισματος* abster-sione Stephanus Plazo, literarum humanarum doctor, compater meus²⁰ est. Quae Angela uixit annos XV menses IX; ob cuius nunc mortem et eius matris tota mea domus funesta est et fle-tibus repleta immensisque clamoribus resonat et moerentes de-positis uestibus puniceis in luctum atris uestibus lugubribus cla-mydati incedimus.

Erant casu hi nostri moerores et lachrymae mixti libellis popinarum et tabernarum Abrameorum: quando ego tanquam pedagogus duxi compatrem meum Antonium domum Sancti Bar-badici aduocati: ut is hac in lite Abrameis adesset: quas ta-

(20) Es fehlt wohl functus.

bernas (sunt enim tredecim) uxor Lucae Lauredani — frater Andreae Lauredani, qui nauis nostra Pandora apud Sphagiam insulam, ut nauim maximam ciuitatis instar Basej^h Teucrorum imperatoris exureret, se quoque magno animo concremauit — quas tabernas inquam uxor Lucae Lauredani pro dotis suae parte sexcentis ducatis iam sibi auctione publica uendicauerat. Tantam meam iacturam legit SANCTVS et gemens meis lachrymis cordolio: traxit ex intimo uentre suspirium et perturbationum mearum plurimum miserus est, et me de nostra amicitia percunctatus. Respondi ordine. Hic Sanctus nobili genere et luculenta familia — (Et eius fratris Andreae uxor fuit consobrina matris meae Paula filia Bartholomei Victurii soror Mathei Victurii X. V. et cons. Venet.)²¹ nam eius pater fuit Petrus Franciscus, filius Marci Barbadici, Ducis Venetiarum, fratris Augustini Barbadici etiam Ducis, qui auxerat imperium Venetorum Cremona et plurimis castellis amni Abdua cinctis. nec non maritimis Apuliae claris ciuitatibus, Mola, Puligiano, Trano, Hydrunto Brundusioque. Huius Sancti patruus, Bernardus Barbadicus, Baiulus uester Corcyrae fuit et insulae Cretae praefectus. Sed si tibi Sancti cognatos et agnatos enumerarem, legionis numerum implerem. Andreas Griti, qui per maximos labores et pericula Republica restituta ad Ducatum nostrae urbis Venetiarum peruenit, aequalis fuit patris Sancti et eius socius et sodalis calceamentorum gemmatorum societatis. Semper uiuant! Sed Sanctus genere a natura ornatus uirtute etiam propria excelluit. Nam adolescentulus lyrae se ita dedit rhythmis et Hymnis, ut si quis dicere non auderet Orphea superatum a Sancto, aequatum saltem adfirmaret. Deinde forum adgressus est non humili causa, sed alta, ardua et opulentissima (triginta enim millia ducatorum erat litis aestimatio) pro Hieronymo Capello et Victore, qui Victor Andrea Capello, eius patre, legato Romae poeticen a Pomponio

(21) Das Eingeklammerte ist späterer nicht gehörig eingefügter Nachtrag.

Laeto didicerat et in Cypro Syndicus obiit. Cuius Victoris incunabulis ego apud Petrum Cyrneum condiscipulus fui. Pro inquam Victore et Hieronymo, amitinis suis filiis Marinae, amitae Sancti et Marci Barbadiici etiam Ducis filiae, hic Sanctus magnanimus non dubitavit hanc causam solus agere contra Paullum Capellum, equitem et magnae factionis uirum et maximis in Republica functum et tunc fungebatur honoribus. Hanc ob causam Sanctus emicuit. Nam uictoriam reportauit ita, ut a patribus tot summis maximisque fori Veneti oratoribus Sanctus antepositus fuerit et Aduocatus Procuratorum sancti Marci maximo honore creatus et est iam annis XV summa omnium laude. Nec reticere uolo Sancti patrem adiuuisse Compatrem meum Aldum Romanum aliquot millibus ducatorum, quibus ille graecos latinisque libros cassitero stanno et torculari scripsit, quibus studiosos excitauit ad bonas artes capescendas.

Haec fortasse quis dicet plura sunt, quam ad delamentationem et luctum uxoris charae dulcisque natae ademptae pertineant. Cui dicere poteris me, quando ipse iudex in luctu erit: illius breuem aut longinquum sermonem orationemue non damnaturum, sed illi suo arbitratu *βραχυλογία* et *πολυλογία* permissurum.

Libellus hirsutus habet habitum temporis et lituras et aditamenta pro memoria rerum.